

Christoph Martin Burchard

**Programma Qvadragesimale, Qvo Martinus Christophorus Burchhardi,  
Academiæ Rostochiensis hodie Rector ... Anno MDCCXXI. Studiosam  
Juventutem Ad Probe meditandos Dolores Sanctissimi Nostri Redemptoris Jesu  
Christi, officii & pietatis causa, serio voluit**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], [1721]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100399735X>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

1721. Fasken.

M. 1256. 166.

Q 1721

PROGRAMMA Qvadragesimale,  
**MARTINUS CHRISTO-**  
PHORUS BURCHHARDI,  
Academiae Rostochiensis hodie  
*RECTOR,*  
Medicinae D. ac Prof. P. Ord. &  
Civitatis Archiater,  
Anno MDCCXXI.  
*Studio sam Juventutem*  
*Ad*  
*Probe meditandos DOLORA*  
*SANCTISSIMI NOSTRI RE*  
*DEMPTORIS*



# JESU CHRISTI,

*Officii & Pietatis causa,  
serio  
excitare voluit.*

ROSTOCHII ,  
Typis JOH. WEPPLINGI , SERENISS. PRINC.  
& UNIV. Typogr.

M-1256 166



X tempore scribo , fefellit  
etenim memet publicandi Pro-  
grammatis terminus & quem  
constitueram penes me sub  
effluxum hujus septimanæ, eun-  
dem auspicari sancta me jubent  
Academiæ nostræ consilia, vel  
in ipsa Qvinquagesimæ fe-  
ria ; de tempore igitur com-

mentari exordior, ast quam sancto, & supra captum  
vulgariter censentis plebis , quinimo politiorum  
quorumcunque , si non & aliquando maxime probo-  
rum dolenter posito ! Perhibuit Bernhardus Con-  
fessorum gloria fata, his quidem verbis : *Fecerunt*  
*in Martyres , qua voluerunt , sed in membra , non in cor-*  
*da : Membra cruciaverunt , sed voluntatem non mutave-*  
*runt : saviorunt in carnem , anima autem non habuerunt ,*  
*quid facerent . Sit lices patientis corpus in potestate tor-*  
*quentis , sed voluntas est libera . Ast quemadmodum*  
*arenulæ cedunt montibus , quorum , ut celsitudo*  
*dispalesceret , altiora & ad aerem conciliata juga no-*  
*men Elohim sanctissimum ferunt ; & guttulæ , mari ,*  
*qvod exili soveæ nec immittitur nec permiscetur , ita*  
*quoque in præsentiarum res mihi est , cum doloribus ,*  
*quos rigorosa , nec finitis viribus exsuperanda ju-*  
*stitia Numinis tremendi exegit , qui potest & corpus*  
*& animam perdere in gehenna : fuerit ergo censente*  
*Domino du Fresne , tragica pene tota primorum Chri-*  
*stianorum historia , sit & tantis modis in eosdem*  
*sævitum , ut vix in alia re ingeniosior extiterit tru-*  
*culenta antiquitas , nec pilum tamen vellerum , quot-*  
*quot unquam lanigera cohors aluit , nec stricturam*  
*ignium , quos Phœbæus horizon , & flammeis di-*  
*visus*

visus moleculis Atlas sparsit, adinveneris, quo usque, si  
parva sunt componenda magnis & humana divinis,  
in admirabilem vindictam meditando ascendere vo-  
lupe tibi foret, qua quidem infinitæ exactionis Ze-  
lotes, incurrere fecit in Mediatorem nostrum, qui  
vere integer vitæ scelerisque purus fuit, dum pecca-  
tum non fecit, neque inventus est dolus in ore ipsius, ini-  
quitatem omnium nostrum, & is ipse pretioso suo san-  
guine, tanquam agni immaculati & incontaminati ex-  
piavit peccata totius mundi, contemptus namque &  
cessans virorum fieri adactus est Vir dolorum & norus  
morbi, qui morbos nostros tulit & dolores nostros porta-  
vit, quem & reputavimus afflictum, percussum a DEO  
& attritum, qui confessus fuit ob pravaricationes no-  
stras & contusus ob iniquitates nostras, cum castigatio-  
nis super eo fuit & vulnere Ejus sanitas data est no-  
bis. Magnum tibi didicisse putaveris, si naturam  
illam, quam in hypostasin suam assumpsit ἀόγος &  
in eadem indissolubili ac invariabili unione æternum  
servat ac fovet, cognoscas, statim post conjunctio-  
nis eminentissimæ divinam formam, infirmitati-  
bus, peccato equidem, sed non doloribus vacuis la-  
boravisse, ubi excurrere tibi licebit, ad singula ista,  
quæ abs utero ad crucem & mortem usque enixis-  
sima passione, bajulare sategit, verum quanta quan-  
ta hæc sit cruciatum horribilis moles, parum ta-  
men id opinaretur, nec sine grandi verosimilitudi-  
ne, quicunque supercilioso scrutamine auderet mar-  
tyrum passiones & latronum quandoque supplicia  
conferre ac conformare doloriferis istis sensationi-  
bus, quas exterior plagarum scena Redemptori no-  
stro destinavit; in alia & explicatu omnino im-  
possibilia, meditationum genera propendebit pro-

pter hæc divinarum pandectarum sobrius scrutator,  
nec habebit , unde conceptus exquisitissimos etiam  
dissolvat , simulac detruditur in aquam natationis &  
fluvium , qui non transitur , horrendum puta istud  
*pelagus angustia* , quod transvixit Goel nostras , et cuius  
fluctus percussit , donec exsiccate sunt omnes profundita-  
tes; non siquidem satis est Numinis indignabundi,cu-  
jus nec vestigatio datur , nec coram quo expiatio  
per creaturam est possibilis , advertisse flammeos  
vere recessus , sed in admirationem tremoris rapie-  
tur piarum cogitationum sortilega discussio,cui reve-  
lationis jubare , obviat vicaria ista sed & sufficientis-  
sima satisfactio , quam Zelus irati proh ! sospitato-  
ris in jus & justum adsciscere adigebatur , & si cui-  
quam id foret datum , ut in horto Gethsemane , &  
horis tenebrarum,ubi crux simul ac infernales dolo-  
res istius , qui longe plus,quam Vas , præs , aut ex-  
promissor fuit , abscondebantur coram oculis viven-  
tium , elevatis admitteretur cogitandi sollicitudinibus ,  
metus forte non vagus aut vanus exoriretur , num  
& his demum apprehendendis vulgaris homo vi-  
vus superesset ? minimum rediret decantatum istud:  
Tum vero ancipiti mentem formidine presius. Ob-  
stupui , steteruntque comæ & vox faucibus hæsit.  
Demonstrent Medici , quomodo a sale orientur pun-  
ctiones , rosiones adeoque omnes dolores , enumera-  
rent ejusdem varias vices,unde aut tensivus aut scin-  
dens vel pungens dici consueverit ? discutiant , quod  
senibus sit communis ratione tactus , & nervosa-  
rum partium vehementior præ illo , qui accidit par-  
tibus carnosis , & rel ; si & explicatu facile , schema  
quoddam dolorum efforment , quoad singulos casus ,  
modos & momenta ; in proclivi tamen Theologis  
erit

erit anagogica ista decisio : Ecce dolores istiusmodi singulorum sunt sicut gutta de situla , & sicut scoria libra reputantur , sunt sicut minutissimum . Transcendit namque indignationis divinæ rigor omnes finitarum passionum classes , exsuperat cogitationum sagacissimos motus , & præter usum ac applicationem fidelem vix datur , quod meditando assequamur & docendo exprimamus , in illa vero sanior hæc retrocurrit doctrina :

Sanguineas guttas Christus sadavit in horto,  
Sanguine sic madefactus in ara pependit JESUS,  
Ante Patrem soboles & DEus ante DEum.  
Sin minus ex aliis, ex hoc, Homo, disce vel uno  
In scelus humanum, quanta sit ira Dei.

Blasphema hic sunt omnia ista , quorum ad hunc usque diem non pœnituit Papæos , dum æque de Missa sua præcociter vociferantur ; In eadem puta, repræsentari sanctæ Trinitati sanguinem, vulnera ac passionem Christi, velut hostiam nostram , primo ; deinde quoque repræsentari memoriam sanctorum & maxime Martyrum eorumque vulnera ac sanguinem, non tanquam sint victimæ nostra & sanguis eorum pretium nostrum , sed quia sint secundarii mediatores , qui nos juvare possunt, ut ad votum nostrum exaudiamur , imo sint sacrificium, quod maestatur quodque offertur, dum eorum sanguis in Missæ sacrificio sanguini Christi associatur , cumque eo quasi mixtus DEO Patri , ad eundem nobis conciliandum propitiandumq; repræsentatur : Sed & non minori rabie oblatrant Fanatici passionibus Redemptoris , ipsi soli tribuendis ac semel meritorie exantlatis , quum nugaci persuasione infucati , exinanitionem Salvatoris theatraли impegnate in semet ipsis retroducere ac meritorie satis ite.

rare moliuntur : Quicquid enim cum contumelia  
mortis Christi celebratur & in destructionem semel  
factæ satisfactionis, qua ad omnem apicem rigidissi-  
mæ justitiae divinæ exsoluta sunt debita humani ge-  
neris, & singulorum, quotquot unquam orbis alet, illud  
orco vindicandum esse, ingenua omnis dictitat con-  
fessio : Relicta sunt nobis alia fidei simul & pietatis  
exercitia, ad qvæ per meritoriam Christi satisfactionē  
& in hunc finem concitamur, ut documentum nostræ  
fidelitatis supersit in orbe, luceat scilicet lux nostra  
coram hominibus, ut videant nostra bona opera &  
glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est. Quin  
imo, si ad œconomiam salutis nostræ pia ducimur me-  
ditatione, & præsto nobis est militia nostra spiritualis,  
O quam fatu majora suppetunt nobis ~~atque~~ ! in  
palaestram trahimur, ubi sub signo Joeli fortiter ad-  
versus peccatum, mortem, infernum, mundum, car-  
nem & diabolum decertare nos oportet, velut huic  
fini nomen dedimus nostrum in baptismo & per o-  
mnem vitæ decursum in id solitice connitendum est,  
ne abs omniscio vindice judicium hoc ingruat super  
nos : novi opera tua, quod nomen habeas, quod vivas, sed,  
mortuus es. Scite, si licet sacris componere profana, La-  
odamia quondam ad Protesilaum fatur, interprete Ovidio;

Conveniunt matres Phylacides & mihi dicunt :

Indue regales Laodamia, sinus:

Scilicet ipsa feram saturatas murice vestes ?

Bella sub Iliacis mœnibus ille geret ?

Ipsa comas pectam ? galea caput ille premetur ?

Ipsa novas vestes, dura vir arma feret ?

Et honesta eadem animositate Urias Davidi respondit :  
Arca ipsa ac Israel, & Jehuda & Joab, dominus meus  
ac servi Domini mei, in superficie agri castra habent, &  
ego

ego ingrederer domum meam ad comedendum & bibendum, & ad cubandum cum uxore mea ut vivis, & ut vivit anima tua, non sum facturus hanc rem: Quid ergo officii nostri Christiani sanctus magis efflagitabit ardor ac verecunda industria, quam ut decernamus maleولة adversus nos ipsos & periculosa omnia, quæ pietatem interturbant & gloriolo redemptoris merito obicem ponunt: Scimus quod merita nostra nil habeant, in quo gloriari confidenter valeamus, & cum fecerimus omnia, quæ mandata sunt, (quod an fieri unquam possit dolorifera nobis confirmabit experientia.), dicendum sit: utique servi inutiles sumus. quia quod debebamus facere, fecimus. In sinu igitur, lætemur, dum, quod nobis deest, audacter usurpemus ex visceribus Christi, quæ misericordia affluunt, nec foramina claudunt, per quæ defluit gratiarū abyssus, vulneribus namq; Christi sanamur ac salvamur. O si propterea in nemine nostrū esset verbum Belialis, nec obsirmaretur cor improborū adversus salutē suam! utinam saperent omnes & intelligerent hoc, ut anima adverterent extremū sui! O si cum Bernhardo, seriis devoti considerationibus, ingeminaremus: Dilexit nos Deus dulciter, sapienter, fortiter: dulciter nempe dixerim, quod carnē induit: sapienter, quod culpā vitavit: fortiter, quod mortē sustinuit: sed super omnia reddit te mihi amabilem, bone Jesu, calix, quem bibisti, opus nostræ redemptionis, hoc enim omnino amorem nostrum sibi vendicat, hoc inquam nostram devotionem blandius allicit, justius exigit, arctius stringit, & vehementius afficit: Sunt ex eodem capite per via singulis pondera momentorum, exporrigitur inundans rationum ubertas, quis namque sui compos & Spiritus S. divina sapientia beatus, cum Augustino non exclamaret: O mirabilis censuræ conditio & ineffabilis mysterii dispositio, peccat iniquus & punitur justus: delinquit reus & vapulat innocens: offendit impius & damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat servus, exfolvit

solvit Dominus : quod committit homo , sustinet DEus :  
quo nate Dei, quo tua descendit humilitas ? quo tua flagra-  
vit charitas ? quo processit pietas, quo excrevit benignitas ?  
quo tuus attigit amor ? quo pervenit compassio ? ego enim  
inique egi , tu poena mulctaris: ego facinus admisi, tu ulti-  
one plecteris : ego crimen edidi, tu torturæ subjiceris: ego  
superbivi , tu torturæ subjiceris : ego tumui , tu attenuaris;  
ego inobediens extiti , tu oboediens scelus inobedientiæ  
luis : ego gulæ parui , tu inedia afficeris : me ad illicitam  
concupiscentiam rapuit arbor, te perfecta charitas duxit  
ad crucem : ego præsumpsi vetitum , tu subiisti eqvuleum;  
ego delector cido , tu laboras patibulo: ego fruor deliciis,  
tu laniaris clavis: ego pomi dulcedinem , tu fellis gustas a-  
maritudinem : mihi ridens congaudet Eua , tibi plorans  
compatitur Maria. Ecce Rex gloriae, ecce mea impietas &  
tua claret pietas, ex mea injustitia & tua liquet justitia.

Meditabimini propterea *O Cives dilectissimi miracula tatis-  
factionis & passionum Domini Mysteria ! Omnis gloria Dei*  
& omnis salus hominum in Christi morte posita est , nulla  
enim est res quæ amplius ad salutem hominum pertineat,  
quam mors ipsius,nec est aliquid aliud,propter quod magis  
Deo gratias agere debeamus,quā propter mortē ipsius!Con-  
ciliemini ergo prompta voluntate cū orationibus sacrīs,qua-  
rum & ad vos contendit divina gravitas & necessaria argui-  
tio,neq; dura habeatur Christi imitatio ac sequela, dum vel  
lascivus Ovidius ad saniorē reducet mentē, quando monet;

Dura aliquis præcepta vocet mea, dura fatemur

Esse ; sed ut valeas , multa dolenda feres.

Sæpe bibit succos quamvis invititus amaro

Æger , & oranti mensa negata mihi est;

Ut corpus redimas , ferrum patieris & ignes,

Arida nec sitiens ora lavabis aqua :

Ut valeas animo, quicquam tolerare negabis ?

At pretium pars hæc corpore majus habet.

DEus vero, qui compotes nos fecit ac voluit passionum Christi, cœlesti hocce  
medio medeatur passionibus nostris ! Amen !

Publicatum Sub Sigillo Universitatis ipsa Feria Quadragesima,

Anno MDCCXXI.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn100399735X/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100399735X/phys_0011)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn100399735X/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn100399735X/phys_0012)

DFG

ego ingrederer domum meam ad comedend  
 bendum, & ad cubandum cum uxore mea ut v  
 vivit anima tua, non sum facturus hanc rem: Qu  
 ficii nostri Christiani sanctus magis efflagitabit  
 verecunda industria, quam ut decernamus malo  
 sus nos ipsos & periculosa omnia, quæ pietatem  
 bant & gloriolo redemptoris merito obicem po  
 mus quod merita nostra nil habeant, in quo glor  
 denter valeamus, & cum fecerimus omnia, qua  
 sunt, (quod an fieri unquam possit dolorifera n  
 firmabit experientia.), dicendum sit: utique ser  
 sumus, quia quod debebamus facere, fecimus, In si  
 lætemur, dum quod nobis deest, audacter usurpen  
 scribus Christi, quæ misericordia affluunt, nec  
 claudunt, per quæ defluit gratiarū abyssus, vulneri  
 Christi sanamur ac salvamur. O si propterea in nem  
 esset verbum Belialis, nec obsirmaretur cor improb  
 sus salutē suam! utinam saperent omnes & intellig  
 ut anima adverterent extremū sui! O si cum Bernh  
 devoti considerationibus, ingeminaremus: Dilexi  
 dulciter, sapienter, fortiter: dulciter nempe dixerim  
 nē induit: sapienter, quod culpā vitavit: fortiter,  
 sustinuit: sed super omnia reddit te mihi amabi  
 Jesu, calix, quem bibisti, opus nostræ redemptionis  
 omnino amorem nostrum sibi vendicat, hoc in  
 stram devotionem blandius allicit, justius exig  
 stringit, & vehementius afficit. Sunt ex eodem c  
 via singulis pondera momentorum, exporrigitur  
 rationum ubertas, quis namque sui compos &  
 divina sapientia beatus, cum Augustino non ex  
 Omirabilis censuræ conditio & ineffabilis myster  
 io, peccat iniquus & punitur justus: delinquit r  
 pulat innocens: offendit impius & damnatur piu  
 meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat se

